



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,  
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è  
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem  
Accommodata**

**Worpitz, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Caput 15 [i. e. 14]. De Onomatopeia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

lud pono v. g. Rex Hispaniæ & Rex Catholici-  
cus, tunc enim unum non ponitur pro altero,  
sed ad alterum, & sic est tantum epitheton, ita  
Quintilianus; si dicas, inquit: ille qui Cartha-  
ginem, & Numantiam evertit, antonomasia  
est, si adjeceris Scipio, appositum. Porro mo-  
nitum de appositis, vide hinc in authore.

## CAPUT XIV.

## De Onomatopæja.

*Onomatopæja est fictio nominis*, sicut pro-  
sopopæja fictio personæ: sicut autem non  
quæcunque fictio personæ ad rem est, ita ne-  
que fictio nominis; non enim quælibet *fictio*  
*nominis* novi est tropus, sed illa tantum, quæ  
fit *cum virtute*, id est cum gratia & ornamen-  
to, ad quod requiritur fundamentum, seu con-  
nexio unius rei cum altera, vel saltem vocis  
cum re, ut supra expositum est. Unde non o-  
mnia nova vocabula, de quibus hoc l. 3. c. 7.  
agitur, sunt hujus loci, sed illa tantum quæ fiunt  
secundo modo, nempe *imitatione*, id est, quan-  
do nova affectâ voce imitamur, & exprimi-  
mus sonum, quem res habet naturaliter: tunc  
enim vox *naturalis*, seu naturaliter signifi-  
cans, transfertur ad significationem *artificia-*  
*lem*, & quidem cum gratia & virtute, quod  
non fit in quacunque vocis fictione. Quare  
non pertinent huc syllaturit, mendaciloquus,  
pierati cultrix pro ciconia, trisæcli senex pro  
Nestore, templifuga &c. Sed bombalio, mur-  
mur;

mur, sibilus, bombardæ, tarantara pro voce tubæ, fritinnire pro voce hirundinis, baubari antiquum pro voce canis, fringutire pro voce, fringillæ, ulula pro bubone, cucullus, ronchizare, pitifare; hæc enim per artem sonum naturæ exprimunt, & à natura ad artem transferunt, ut tropus dici queat, quod in prioribus non fit. Unde Onomatopœjam rectè sic definiveris: *Est fictio nominis propter similitudinem vocis artificialis cum sono rei naturalis.* Dixi cum sono, non cum re, sic buccina à bucca & cano non est hujus loci, quia est ad similitudinem rei, non autem soni; sicut & upupa, serpens. Avium & animalium voces proprias expressit Author carminis apud Beyerling in theatro, Lit. A. fol. 449. ego brevius subjicio. Pro utroque tamen præmoneo, non omnia esse hujus tropi, sed illa tantùm, quæ sunt ad similitudinem soni naturalis efficta.

Ursi uncant, ululantque lupi, rugiuntque  
leones,

Lynx fremit, atque elephas garrit, &  
hinnit equus.

Frendet aper, glocitant corvi, vulpecula  
gannit,

Balat ovis, vitulus blatrat atque caper.

Bos mugit, latratque canis, sus grunnit, ar  
sellus

Oncat, & in tepidis rana coaxat aquis.

Mus mintrat, catus glaucit, malè sibilat an  
guis,

Sollicito pavidus vagit amore lepus:

Hunc aquilæ clangunt , & garritat anser a-  
morem,

Hoc castus turtur , mæsta columba ge-  
mit.

Hoc turdus trutilat, crepitatque ciconia,  
sturnus

Pisitat, accipiter pipat, hirundo fritit.

Grus gruit, & corvus crocitat, plaucitque pa-  
lumbes,

Rauca cicada strepit , lenta titinnat a-  
nas.

Graculus hoc frigilat, pupillat pavo, mi-  
nurit

Passer, Zinzitulat regulus , atque me-  
rops.

Cucurrit gallus, gallina gracillat eodem

Hoc canit omnis avis , bombillat omnis  
apis.

*Alauda canum.*

Illa sicut tereli, tereli, tire, tirtile tractim

Ingeminans, dulci circinat ore sonum.

Hæc volucris secat astra levis , dein tramite  
verso

Ima petens , dis , di , di inquit alauda  
vale.